

EXERCITATIO MEDICA
DE
REFECTIONE CELERI
PER
ALIMENTA HUMIDA
AD DVCTVM
HIPPOCRATIS
APHORISM. II. XI.
QVAM
PRAESIDE

IO. HENR. SCHVLZE MED. D. ET PR. P.
ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM
COLLEGA

PRO ARGVMENTO CIRCVLARIS DISPVATIONIS
A. D. MARTII clō lō ccxxviii.
EXHIBET

FERDINANDVS ADAMVS SCHODER
NORIMBERGENSIS. *D. R. Kültner.*

ALTORF. NORIC.

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

Diaetet.

158,49m

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



EXERCITATIO MEDICA
DE REFECTIONE PER ALI-
MENTA HUMIDA.

PROOEMIUM.



Quamquam vetustissimorum temporum memoria densa caligine obscuratur, hominesque a sua prima origine sat longum tempus videntur transegisse, antequam in literarum monumenta redigere aliquid occæperunt; ipsaque illa primæ ætatis monumenta, quæ forte exstiterunt; variis fortune casibus, ut flammæ furore, diluviorum impetu, bellorum cladibus, iam diu consumpta, absorpta & funditus deleta sunt: non tamen dubitare licet, quin anti-

A 2

quis

quissimarum rerum commemorationem subinde parentes, liberis suis familiaribusque audientibus, fecerint, eaque, quæ de originibus artium tradi solent, ex hac origine emanare potuerint. Atque his quidem traditionibus eo facilius fidem adiicere licet, si recta ratione assequimur rem se ita, quemadmodum traditur, habuisse, aut potius aliter habere vix potuisse. Ita facile credimus HIPPOCRATI docenti medicinam ex eo esse ortam, quod primi homines obseruauerunt corpus nostrum non eodem modo se ad singula assumpta habere; adeoque antiquissimam esse medicinam illam partem, quæ rectam dietam sanis & egrotantibus præscribit. Huius autem longe celeberrimus autor Hippocrates, aureis cedroque dignis monumentis suis optima huius præcepta ad nos transmisit, quæ merito suo magni ab omnibus fiunt, qui rectissime viuendi medendique regulas legere & ediscere cupiunt. Huius generis aliquam, ex Aphorismorum aureolo libello desumptam, mihi elegi, in qua vires ingenii periclitarer. Est autem illa Sectionis secundæ undecima, & sequentem in modum habet: ῥᾶον πληρῶς ποτῆ, ἢ σιτίσ. Facilius est impleri potu, quam cibus. Cuius sententiæ considerationem ita suscipiam, ut, quæsito prius sensu literali, deinceps usum eius, per omnes medicinæ partes, indagare pro viribus allaborem.

§. I.

Pauca quidem sunt aphorismi verba, sed, quod eadem extra nexum conspicuum posita sunt, aliquam dubitationem lectori afferre possunt. Nam quod primum vocabulum attinet, quæri posse videtur, an hoc loco potius dicatur de eo, quod *facile peragitur*; an de illo, quod *facilius toleratur*. Si GALENUM quæras, hic in *Explicatione vocum Hippocraticarum* ῥᾶον exponit ἐτοιμότερον, καὶ εὐχερέστερον. ἔνιοι μὲντοι τὸ εὐφορώτερον ἤκουσαν hoc est *promptius & ad obtinendum facilius*. At vero alii exponere maluerunt de eo, quod *faciliori negotio toleratur*. Adeoque duplex emergit sensus, nimirum: *promptius repleri corpus potest potulentis, quam esculentis: & tolerabilior est repletio, quæ fit potulentis, quam esculentis*. Ipsum etiam vocabulum πληροῦσθαι diuersitatem aliquam significationis admittit, ut vel simpliciter significet *reple-re ad satietatem*, vel *repleri ad excessum*, vel denique in oppositione ad evacuationem nimiam significet *supplere illud, quod nimis evacuatum & subtractum est*. Quo triplici respectu habito, præceptum hoc ad hygienam, ad pathologiam, & ad curativam methodum referri debebit.

§. II.

Equidem video Galenum, in suo ad hunc aphorismum commentario, suadere nobis, ut primum vocabulum ῥᾶον accipiamus eo significatu, qui denotat id, quod *facilius & citius peragitur*, & verbum πληροῦσθαι intelligendum docet, quatenus *opponitur celeri & nimie evacuationi*. At vero non video sufficientem huius explanationis suæ rationem adiectam esse. Nam quod ex antecedentium consideratione illud patescere scribit: forte ex ipsa natura aphoristicæ doctrinæ, quæ separatas

tas artis regulas, absque sollicito nexu cum præcedentibus, proponit, dubium non leve suborietur, an per leges bonæ interpretationis restringi dictum aliquod late patens, & simpliciter enunciatum, debeat. Sed iuuabit omnes, quotquot admittit hic aphorismus, sensus proponere, & benevolo Lectori iudicium permittere.

§. III.

Quantum itaque attinet ad primum sensum : *facilius est, nos repleri posse potu, quam cibo* : iuuabit ex physiologia aliqua repetere. Antequam assumpta sic perficiantur, ut supplendo sanguini & nutriendo corpori sint idonea, necessarium est multos actus diuersos præcedere. Ponamus aliquem hoc fine vti velle carne bubula, opus est coctam illam vel assatam dentibus satis comminuere, quo ipso saliva intermixta imbuitur, admixtoque liquido glandularum palati mucoso in bolum deglutiendo aptum redigitur. Deglutitur inde perque oesophagum in ventriculum descendit, fundo eius illabitur, & constrictione illius blande circumdatur. Hac mora per extrema oscula vasorum nerveo - arteriosorum, quæ tunicam villosam constituunt, exsudans humiditas tenuis, mire resolutoria, quam liquorem gastricum vocare solemus, carnem assumptam penetrat, inque eius pristina structura destruenda, eandemque in principia sua sequestrando, occupatur, ita, ut quicquid bovinæ naturæ structuræque congruum adfuerat, id omne auferri destruique debeat, ut solum materia in nutrimentum hominis adaptari idonea remaneat. Vbi sic satis calore ventriculi, eiusdemque laudatissimo menstruo, cui saliva iam in ore admixta succurrit, assumpta sunt elaborata & resoluta, emittuntur successive ea, quæ satis emollita & resoluta sunt, & per intestinorum longum canalem deducuntur.

§. III.

§. IIII.

Quemadmodum igitur ventriculi negotium *diæresin*, seu *resolutionem*, potissimum spectat; ita nunc intestina eandem quidem prosequuntur, sed præcipua opera *Synthesin*, cuius initia iam ipso in ventriculo ex parte fiunt, penitus absolvunt. Huius causa statim in principio tam longi tractus glandulæ duodeni, ab Illustri BRUNNERO nomen adeptæ, liquidum suum infundunt, moxque largiori flumine, ex pancreatis viscere erumpens, succus pancreaticus influit: quo eodem ostio bilis etiam in canalem intestinorum effunditur: quorum liquorum ea natura est, ut limpidi isti, ex pancreate & Brunnerianis glandulis, præter menstrui animati beneficium, una cum adsumtis potulentis, vehiculum nobile nutritiis partibus idoneum præbeant, bilis vero saponis instar, aut, si mavis, vitelli ovorum, pinguia & oleosa cum aqueis coniungat, sicque lac illud, chylum inquam, vnde sanguis suppleri debet, iuncta constituent.

§. V.

Quis non videt quam sit longum negotium si ex carnibus aliisque esculentis parari chylus debet? neque dubito quemvis intellecturum esse, quanto sit facilius, & temporis breviori intervallo parandum, sanguinis supplementum ex istiusmodi alimentis, quæ potus forma assumuntur. Talia autem sunt lac, ova sorbilia, juscula gelatinosa, emulsiones, potus Chocolatæ, & super omnia vinum generosum dulce, qualia sunt Malvaticum, Cyprinum, Canariense, Hispanicum, & id genus alia genuina & nullo mangonio corrupta; quin etiam, ubi nihil a calore metuendum, nostratia fermentata, & in assuetis, cerevisiæ meliores, præsertim ex ritico, tum quævis aliæ bonæ & bene defæcatæ.

§. VI.

§. VI.

Prærogatiua alimentorum istiusmodi potulentorum porro cognoscitur istiusmodi casibus, ubi facultates illas, quæ ad concoctionem requiruntur, valde esse debitas necesse est. Nam cum liquoris gastrici, pancreatici & laticis intestinalis ea sit naturalis conditio, ut ex sanguine optimo, & quantum verosimillime colligitur, nervorum fluido tenuissimo, constituentur: necessarium est, ubi proventum illius sufficientem cupimus, satis abundantem adesse sanguinis arteriosi copiam, quæ ad extremitates usque capillares, tunicam villosam constituentes, glandulosaque colatoria, profunde penetret, & secretionis materiam præbeat. Quod non minus necessarium esse respectu nervorum certum est; quoniam illud fluidum, quod per nervos aduehitur, & ut Brunneriano termino utar, animatum menstruum reddit, elaborari non potest, nisi cerebrum laudabilis sanguinis arteriosi sufficienti quantitate perfundatur, & ex corticali substantia in tenerrimos canaliculos medullares, nervorum prima stamina præbentes, penetret atque transfundatur.

§. VII.

Facile autem intelligitur fieri hoc non posse ubicunque magna sanguinis profusio accidit, cuius generis plura quidem exempla apud auctores idoneos consignata leguntur, mihi autem unicum, pro scopo meo, sufficit, quod *Hildanus* refert *Cent. II. observ. XVIII.* nobisque sistit virum sexagenarium, qui maxima hæmorrhagia, cui vix ulla sanguinem sistentia sufficiebant, correptus, tandem oedematosus & asciticus redditus fuit. Cuius eventus rationem, non possumus aliunde arcessere, quam quod nimia sanguinis, quam vir ille fecit, iactura, vasa plurimum depleuerit, unde illa, ad mensuram factæ

factæ inanitionis, contracta angustataque fuerunt, & quoniam senili hac ætate vasorum succosæ extremitates per se sensim coalescunt & abolentur, is effectus tanto citius in hoc viro, jam sene, evenit. Sed ortus a novo assumptorum supplemento chylus difficilior, vel plane non, valuit ad collapsos & constrictos canalium istorum meatus aperiendos, pristinumque iter recuperandum. Vnde œdematosus & asciticus euentus fuit subortus, cuius plenissimam ætiologiam hic a me tradi nemo postulauerit.

§. VIII.

Vero autem simile videtur alimenta liquida, eorum saltem aliqua, præcipue spirituosæ, facillime humoribus nostris infundi, usque adeo ut aliqua jam profint, & vires erigant, dum odoratu percipiuntur, vel exterius corpori illinuntur; alia inter deglutendum, quin, ubi deglutitio prohibetur, ore tantum detenta, efficaciam refocillantem exserant. Ex quo apparet, quod, ubi patentioribus ventriculi & intestinorum poris eadem illapsa fuerint, sine longa mora lymphaticos chyliferosque ductus subitura, & sic ad commercium sanguinis defluxura sint, saltem quoad fluidiorem & meliorem sui partem, fæculenta & minus subtili restitante. Pertinet huc observatio a B. D. D. VVEPFERO, in nuper editis de *affectionibus capitis IV. p. 7.* relata, ubi vir potu vini nimio inebriatus, rudiore plaga in capitis temporali regione accepta, mortuus concidit. Hujus cranium cum sectione auferretur, mox ingens seri quantitas, vinum exacte redolens, cum copioso sanguine, effluxit. Ex quo phænomeno doctissimus vir hoc axioma, *scholio 2.* expressum merito, ut existimo, elicuit: *Serum intra cranium vinum exacte redolens argumento est, potulenta parum immutata e ventriculo & intestinis seu abripi seu propelli.*

B

§. IX.

§. IX.

Alia sunt ex liquidis alimentis, quæ levi facilique mutatione prius corpori apta reddi, quam sanguinem subeant, experientia & ratione discimus. Hujus generis sunt ab animalibus desumpta, ut lac, ova sorbilia, forte etiam decocta & juscula gelatinosa. Et experientia quidem docuit in omni animali, quod lac potavit, si ventrem celerrime incidamus & ventriculum inspiciamus, lac semper coagulatum reperiri, in illis adeo animalibus, quæ lac congenerum animalium assumerunt, ut vitulis lacte suarum matrum pastis, catulis & similibus: adeo ut merito supersedere possimus anxia cura illa, qua efficere studemus, ne lac assumptum coaguletur. Tantum enim abest ut coagulationem seu potius partium lactis texturam constituentium discessionem impedire juvet aut fas sit, ut potius tam necessarius quam utilis disjunctionis ille eventus reputari debeat: modo coagulatio non sit nimis tenax, qualem verbi causa spiritus ardens affusus pinguiori lacti inducit. Ratio etiam suadet dissolvendam esse pristinam crasin, ut nova speciei & individuo congrua enascatur, sequestrarique illa possint, quæ hoc intuitu minus quadrant.

§. X.

Hæc consideratio docere nos poterit, quid statuendum sit de illo quorundam tentamine, patrum nostrorum memoria instituto, quo gravi hæmorrhagia exhaustis, vel alias debilitatis, in venam immediate sanguinem ex alio animali vegeto transluentem immittere: vel eorum consilio, qui lac tepidum siphonis ope injicere iubent. Et quidem quod sanguinis transfusionem attingit, quoniam illa diu jam omissa est, nihil de ea nunc dicere opus videtur: ipsius autem lactis immissio ex eo dissuadetur, quoniam lac, a quocunque sit animali, crasin & specificatam pro indole ejus animalis vitali animalique

lique characterem adhuc retinet, & quoniam hæc in primis viis non sunt alterata, in sanguine vix emendari possunt. Tolerabilius forte fuerit, si lac ex ejusdem speciei mammis extractum injiceretur, v. g. homini humanum: at vero cum individui naturæ accommodari lac ab animalibus varii generis suctum ex eo cognoscamus, quoniam semper præcipitatum illud in ventriculis illorum deprehendimus: etiam hunc modum non omni ex parte optimum judicare licet.

§. XI.

Quæri hic debere videtur, quibusnam alimentis humidis prærogativa debeat, aut an nihil referat quocunque utaris. Liceat itaque illa prius in classes digerere, deinde casus & circumstantias dispicere. Puto autem facile omnia redigi ad sequentes. In prima colloco spirituosam, ut vinum, ejusque spiritum, cerevisiam, mulsum: in altera consistant ex vegetabilibus parata caloris expertia, ut sunt decoctum seu ptisana hordei excorticati, pultes molliores ex flore farinæ paratæ, juscula similia simpliciora, potus chocolatæ dilutus, emulsiones ex amygdalis, pineis, pistaciis paratæ. In tertia sunt ex animali regno desumpta, ut lac, ova forbilia, juscula & decocta gelatinosa caponum, gallinarum, aliarumque carniū probarum. Quod jam ad primam classem attingit, quoniam manifestum est talia esse calida & humores expandere, intelligitur, facili quidem negotio, ea non convenire ubicunque vel febris jam adest, vel merito extimescitur; eademque prohiberi ubicunque hæmorrhagiarum effera eruptio vix compesci potuit, earundemque recrudescencia metuitur. Sic in puerperis magna hæmorrhagia forte debilitatis, non solum is metus, ne lochia nimium commoveantur, vinum suspectum reddit, verum etiam febris lactariæ expectatio ab eodem

dem detinet. Pariter ubi operationes chirurgicæ graviores susceptæ fuere, aut arteriæ vulneratæ modo sanguinem profundere desierunt, caute cum vino & spirituosus mercandum esse inter omnes constat.

§. XII.

Conveniunt his potius ea, quæ secundum ordinem tenent, succum nutritium blandum, nullaque fermentescente virtute conspicuum præbentia, quibus tam diu immorandum est, donec metu febris omnino ablato ad ea venire liceat, quæ in tertia classe continentur animalia, & vinum, cerevisiamve adjicere. Exempla istiusmodi refectiois videre licet apud auctores complura, sed maxime placuit *Guilielmus Fabricius Hildanus* ubi victum homini post membrorum amputationem valde languenti reficientem præscribit, plane in hunc modum, nisi quod etiam febris respectu non metuit afferre illa ex animalibus desumpta, ut juscula carnum, ova & similia: quod quam recte fiat alii viderint. Saltem observatum est a pluribus, quod febre detenti carnes fastidiant: ipsa sic natura, ut quidem existimo, demonstrante, quod desumpta ab animalibus tali tempore non adeo bene conveniant. Idem recte intellexisse veteres ex eo cognoscimus, quoniam feбри laborantes non alia potione, quam ptisana, reficiebant.

§. XIII.

Atque hæc meditatus sum ad aphorismi nostri primum sensum: quibus addi illud potest, quod humida ejusmodi alimenta, quoniam in humores cito abripiuntur, frequentius repetitis vicibus dare potius conveniat, quam magnis haustibus eadem simul ac semel infundere. Idem nos natura docet in illis animalibus, quæ recens exclusa lacte materno victitant; quippe crebro pastum hunc expetentibus & facile perferentibus: si vero
diutius

diutius eo careant, mox ejulatibus suis idem efflagitantibus. Interponi autem justa spatia, quibus assimilentur sanguini, eo magis est necessarium, quo magis manifestum est, virtutem sanguificantem eo debiliorem esse, quo plus sanguinis amissum est.

§. XIV.

Supra diximus aphorismum hunc trahi etiam ad illum posse sensum, quod tolerabilior sit excessus in assumptis potulentis, quam esculentis. Ita accepisse Hippocratis mentem videri possit CORNELIVS CELSVS quando *Lib. I. Cap. II.* in hunc modum scribit: *ubi ad cibum ventum est, nunquam utilis est nimia satietas: saepe inutilis nimia abstinentia: saepe, si qua intemperantia subest, tutior est in potione, quam in esca.* Enim vero video hanc lectionem Celso non satis secure tribui, cum vetusta exemplaria legant: *durior est in potione, quam in esca.* Et forte mutatio, quæ hic suscepta est, debetur eidem facilitati Celsum refingendi, cui plura apud eundem auctorem, sine prægnanti ratione mutata, debentur. Videbimus itaque, quid de hac comparatione utriusque intemperantiæ statuendum sit.

§. XV.

Et sunt sane qui existimant intemperantiam potus, ab eaque ortam repletionem nimiam, valetudini nullum afferre detrimentum: quare toto videmus die aliquos ita sese ingurgitare, ut hominem exuisse omnino dici possint. Enim vero non impune semper eos ferre intemperantiam suam, multis sane observationibus discere licet, quas medici annotatione dignas judicarunt. Sic FELIX PLATERVS *observat. Libr. I. p. 16.* scribit: *Et pueros aliquot & adultos, & senes, quia spiritum vini, quem aquæ vitæ nomine appellant, immoderate sumpserunt, primum summopere accendi, postea attonitos stupere, ac si*

opium bibissent, & stertere ad mortem usque, multoties observavi. Idemque autor pag. 17. *Aliquos ex nimia vini ingurgitatione non tantum stupidos fieri, sed & mori, observavi: non aliter atque in stupore, a narcoticis, uti & spiritu vini, accidere ostendi, simili stupore obrutos fuisse extinctos.* Plura etiam ex ebrietate mortuorum exempla videre licet apud FORESTVM Lib. IX. observ. 27. Schol. Possimus hisce illorum, qui ex ebrietate vel mortui, vel male mulctati sunt, longe plura addere exempla, nisi existimarem in re tam nota supervacaneam esse hanc probationem. Legi de eo potest dissertatio inauguralis Dom. G. N. Seyfferheldi, de morbis bibonum, 1720. hic habita.

§. XVI.

Ne vero existimemus illam solum in potu intemperantiam, ubi spirituosam ingurgitantur, tam esse periculosam, brevibus ostendemus etiam repletiones humoribus lenioribus factas insigniter nocuisse. PLINIVS *hist. nat. XXXI. cap. 6.* ubi de fontium calidorum interno usu agit, notat errorem illorum, qui plurimo potu gloriantur. *Vidi, inquit, iam turgidos bibendo, in tantum ut annuli integerentur cute, cum reddi non posset hausta multitudo aquæ.* Parum id referre argui ex eodem Plinio posset, quoniam levi remedio, scilicet salis crebro gustu, emendari vitium potest: quod recentiores nostri imitantur sale fontium, ut Egrano, Sedlicensi, Ebshamenfi, vel analogo artificiali cathartico adhibitis. Enimvero non impune id semper cedere senio debilitatis, tophis podagricis obsessis, scorbuticis, aut scirrho viscerum laborantibus, qui sæpe exulcerationes extremorum sui generis sphacelosas, subinde verum hydropem, a nimia ingurgitatione contrahunt, res est tam nota inter omnes, ut verba perdere minime opus sit. Sanitatis conservandæ

dæ

dæ & recuperandæ causa quotidie præscribuntur infusa, aut proprio consilio bibuntur epidemia illa theæ & Coffé; sed nec horum abusus omnino innoxius notatur. Theæ potus abusum inter causas difficilis affectus eius, qui diabetes vocatur, sollemniter refert MARTINVS LISTERVS, Angliæ medicorum haud postremus: cui fidem fecit B. D. D. IO. MAVR. HOFFMANNVS, qui *D. Præsidi* nominibus suis indicavit duos huius Academiae quondam patres, qui nimio usu huius potus stillicidium urinæ contraxerunt.

§. XVII.

Atque nescio annon fatis durum videri debeat homini, qui vivere & valere cupit, si legat quid nimia & assidua Theæ ingurgitatio ventriculo præstet. Exponit autem D. D. G. C. GAHLRIEP *observat. Acad. N. C. Cent. 1. obs. 1.* quid in sectione alicuius theophili inuenerit: *tunica ventriculi admodum erant tenues, chartæ paulo robustioris crassitiem vix æquantes, — plicis autem omnino destituta.* Quæ facies omnibus fere theæ potus belluonibus continuis ac diuturnis, me sæpius hoc in cadaueribus illorum exenteratis, ipsius quoque Doctoris Bontekoe, magni illius, dum viveret, theæ patroni & encomiastæ, observante, familiaris & quasi propria est. Atque, ut chocolatæ potus, omnium præcipui fere alimenti humidi, mentionem faciam, fatis dura fuerunt incommoda quæ incurrerunt aliquot nobiles adolescentes in Pædagogio Regio Halensi, de quibus D. Præsides in prælectionibus aliquando meminit, quod, ut fere nitimur in vetitum, quum potu illo interdictum alumnis esset, illi, corrupto famulo quodam incredibilem eius copiam furtim suppeditante, ultra modum sese ingurgitantes, omnes fere feбри correpti fuerint.

§. XVIII.

§. XVIII.

Non iam attingam quid intemperantius hausta aqua frigida, vel alius potus per se saluberrimus, post magnam incalescentiam, efficiat, prorsus ad perniciem humanæ machinæ prono cursu impellens: quid vina mangonio corrupta valeant; illud tamen puto indubium esse qualitatem istiusmodi potuum malignam & noxiam intemperantius assumendum vitio incredibilem in modum augeri intendique. Sic ante hos forte duodecim annos florentissima academia quædam plures ciues amisit, qui in suburbano diverforio, quadragesimali tempore, statis horis confluebant, & secundum leges quasdam cerevisiam triticeam copiose ingerebant, quum hospes, ut a corem eius emendaret magisque spumantem redderet, multum lixivii affudisset. Plures enim intra breve tempus febre acuta inflammatoria interibant: sed fama mendax tunc quidem, vt fieri solet, tragicis narrationibus rem totam ultra veri fidem extollebat, factique narrationem depravabat.

§. XVIII.


Atque huius forte generis obseruationes CELSVS intuitus est in illa sæculi, quo vixit, intemperantia, pluresque notavit ab immoderatus hausto potu grauitermultatos: quare aduersus mores sui ævi hac admonitione plane *ἀσεβως* pugnare videri poterit; quemadmodum *cap. 3.* Asclepiadis consilium non audet reprehendere, quem offensum eorum consuetudine, qui quotidie eiciendo vorandi facultatem moliuntur, vomitum in eo volumine, quod de tuenda sanitate composuit, reiecissee existimat. Nimirum medicorum honestatem etiam illud decet, ut homines a vitiis deterreant, ostenso periculo, quod vitæ valetudinique ab illis imminet.

Cete-

Ceterum facile consentientem me habebit, quisquis ex idoneo codice scripto confirmauerit alteram lectionem, quæ *sepe tutiorem esse intemperantiam in potione, quam in esca*, profitetur: quum nihil omnino absurdi habeat hæc adfertio, modo rite exponatur.

§. XX.

Scilicet duo intemperantiæ genera comparari manifestum est; neutrum vero laudari absoluteque tutum pronunciari. Si tamen comparentur exempla eorum, qui voracitate peccauerunt, & istorum, qui multa nimis potione in diætæ regulas impegerunt, plures fore illos, qui a nimia voracitate, præcipue si varietas ciborum accedat, illico cruditates, languorem, febres contrahunt, quam hos, qui a crapula gravius & durabilius affliguntur, modo sequantur consilium, quod mox sequitur: *post multas potiones, quæ aliquantum sitim excefferunt, nihil edendum est.* Hæc vero de superius proposito Aphorismo dicta, pro temporis præsentis copia meoque scopo, sufficient.



C

NOBI-

NOBILISSIMO ET EXIMIO DOMINO
RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

Quam mihi obtulisti dissertationem, meditationes quasdam ad Hippocrateum aphorismum proponentem, rogatu TVO leui lima passim expolire, alicubi etiam interpolare visum fuit. Laudo autem diligentiam hoc specimine satis comprobatam, utque stadium, quod strenue decurrere cœpisti, feliciter emetiaris, ex animo apprecor. Planeque futurum hoc auguror si porro ex priscorum, diuque iam mortalium cœtui ereptorum monumentis, viuorum autem sermonibus pariter ac scriptis, fructum capere allabores, nullumque diem sine linea transire TIBI patiaris; memor illius, quod diuus Cœus quasi in limine scholæ medicæ grauitex nobis acclamat: Ars longa, vita brevis. Ita fiet ut spem ac vota Excellentissimi dotissimique Domini Parentis TVI impleas, & qui laborum nostrorum scopus est, DEO & reipublicæ inservire, multorum salutem recte consulendo, quam optime valeas. Non virtuti TVAE diffisus, aut quod diligentiam in TE umquam desiderauerim, hac abiturienti suggero, sed eo animo, ut TE ulterius inflammem: recte enim poeta cecinit:

Acer, & ad palmæ per se cursurus honorem,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Vale, mi SCHODERE, & quocunque loco musis operari placuerit, almae matris Altorsinae amorem conserva.

CLC MCCXXVIII. a. d. XII. Martii.

DU

Du zeigst/Geehrter Freund/wie gros dein Fleiß gewesen/
 Wie einſig Du bisher die Schrifften durchgeleſen/
 In welchen man den Kern der Arzeneey Kunſt find:
 O! fahre ferner fort/ und glaub für dein Bemühen/
 Wird Dir ſo Preis als Ruhm um deine Schläfe blühen/
 Dieweil doch Fleiß und Schweiß der Ehre Mutter ſind.

Seine Ergebenheit gegen dem Herrn Reſpon-
 denten zu bezeigen ſchrieb dieſes

G. L. Huth. Opp.

O mine conſcendes fauſto faſtigia doctæ
 Sedis, & applaudent Phœbus, Hygea, TIBI.
 Scande animi virtute nova, ſic auguror, alto
 Culmine, descendes non ſine laude nova.
 Iamque TIBI virtus meritos decernet honores
 Præmia, ceu fas eſt, digna labore TVO.
 Nunc, ut res medicæ TIBI curæ ſemper habentur,
 Sic alimenta dabunt humida, ſicca, TIBI.
 Hinc voveo ex animo, multum dilectæ Sodalis,
 Vt fortunato ſidere fata fluant.

*Hiſcæ paucis Nobiliſſimo Doctiſſimoque
 DN. Reſpondenti, Fautori & Amico
 ſuo æſtumatiffimo, de egregio ſpeci-
 mine Academico gratulatur*

Carolus Hofmannus, Norimb.
 Opponens.

Was

Was theurer Lehrer Kunst und deine gute Gaben /
 Ja / was dein eigener Fleiß aus Dir gemacht haben /
 Diß zeigt uns deine Schrifft / darinnen Du vermehret /
 Was Aesculapens Sohn / Hippocrates gelehret /
 Fahr fort in deinem Fleiß / so wie der Anfang war /
 Und glaub das Ende bringt / Dir reiche Früchte dar.

So gratuliret herzlich dem Herrn Respon-
 denten dessen ergebenster Diener

Georg Ulrich Schmidt / Noerdling.
 Opp.



Diact. 158, 49 m